

Q. K.  
429,  
57.

32

II c  
1132

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICA  
DE

EPULO FERALI  
VETERUM,

QUAM

AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOS.  
CONSENSU,  
PRÆSIDE

M. GABRIELE CHRISTOPHORO  
MARQUARTO,

Schleiza-Varisco,

disquisitioni publicæ subicit

AUTOR

JOH. Gottlieb Hoffmann / Lipsiens.  
Phil. Bacc. & Magist. Candid.

*ad diem XXIV. Januarii Anno M. DC. XCIII.*

BIBLIOTHECA  
POMICKAVIANA

LIPSIÆ,  
Litteris WITTIGAVIANIS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)



Q. D. N. R.  
BIBLIOTHECA  
BIBLIOPHILA

LIBRARIUM

ANNO 1771

OPUSCULUM

1771







## PRÆFAMEN.

**R**ecpta ubi vis propè con-  
suetudo hodiè est, ad fera-  
les epulas exequiis pera-  
ctis amicos & cognatos  
invitari. Unde derive-  
tur hic mos, & an ac quo-  
modo, à quibus item olim fuerit observa-  
tus? inquisitione visa est digna mate-  
ria, cum omninò rituum hujusmodi ex  
antiquitate evolutio jucunditate juxta  
ac utilitate eximia se commendet. Col-  
legi itaque in hisce pagellis, quicquid Hi-  
storici promicondi antiquitatis eà de re  
monumentis suis inseruerunt, veniam  
cæterum sperans, si anxiosè av decentem  
ubiq; non adhibuero.



§. I.



Onestam defunctorum sepulturam naturalis juris esse, nemo fortè ambiget, cum populi moratiores omnes sollicitè admodum rationem ejus habuerint. Inde tot sepulchrales ritus, tot inventa superstitiosa, quibus illustriores reddi crediderunt exequias. Commodè omnia in antecedentia funeris deductionem, *νεκροφορίαν* & pompam exequialem ipsam, atque sequentia eandem dispesci possunt. De illis nihil nunc attinet dicere; in his parentationes, inferiæ, coronæ & lucernæ sepulchrales, epitaphia ac *ferales epulae* præcipuè occurrunt. Nam & has non minus ac ceremonias reliquas, in defunctorum honorem & lugentium solamen gentes & nationes omnes, certè præcipuè pridem celebrarunt. Necessitatis v. ritum hunc non fuisse, inde patet, quod abstinere illo hæredes, si voluissent, quandoq; potuerint, sc. si fortè hæreditas sibi à defunctis fuisset diminuta. Quod *Persius* innuit, dum ait *Satyr. VI.*

*sed cenam funeris hæres  
negliget iratus, si rem curtaveris.*

Alios tamen alii ritus circa easdem observarunt, quorum diversitas atque ratio optimè ex recensu speciali patebit.

§. II.

*Judeorum* igitur cœna funebris primò hic occurrit, quæ variis apud eosdem appellationibus fuit indigitata. Dicta enim fuit *אֲנִיּוֹת אֲחֵי* panis lugentium, i. e. convivium lugentium, prout sic vocatur *Hos. IX. v. 4.* item *אֲחֵי אֲנִיּוֹת* panis hominum scil. *אֲחֵי אֲנִיּוֹת* lugentium, seu ut mavult explicare *Buxtorffius* c. 49. S. J. aliorum hominum, qualem panem edebant lugentes. Ista appellatio reperitur *Ezech. XXIV. 17. 22.* ubi & *Targum* ita explicat. Nec infrequenter fuit dicta *אֲנִיּוֹת* quæ vox occurrit *Amos. VI. 7.*  
ubi



ubi septuagintaviralis reddidit *Θιάσων* cœtum convivantium, quam significationem ex *Athenæo* probat *Dan. Fesselius* multa de voce isthac Ebræa differens *P. 1. Adv. Sacr. c. 12. Buxtorfius in Lex.* notari illâ dicit *apparatum omnem convivalem propter mortuos.* *Cornelius à Lapide* per vocem *מִזְבֵּחַ* Jer. XVI. 5. convivium funebre intelligi notat, in exequiis ad consolandum propinquos mortui parari solitum, in comment. ad h. l.

§. III.

Neq; autem Curatores funeris multis sollicitudinibus distracti parabant convivium hoc, d. amici atqve vicini in ædes ferales cibum ac potum mittebant, lugentesqve ita ad exhilarandam iterum mentem viresqve reficiendas invitabant. Colligitur illud potissimum ex *Jer. XVI 7. non frangent eis panem super luctum ad consolandum eos super mortuo, nec bibendum iis præbebunt calicem consolationum &c.* in quem locum *Hieronymus* commentatur: *lugentibus cibos attulerunt, conviviaqve prepararunt, qualia Græci περὶ δειπνῶν vocant; &c.* Tendit & huc *Tobiæ* monitum c. IV. v. 18. *effunde panes tuos ἵπτι τὸν τοῦ θένου τῶν δικαίων* h. e. in honorem justi defuncti, ejusqve relictos ciba, explicante sic *B. Quenst. in Tr. de Sep. Vet. c. 13. & Fesseliô* l. c. Idem hic cum *B. Geiero* intendere ritum illum censet monitum *Salomonis Prov. XXXI. 6. date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo.* *Rabbi Maimonides* in opere suo eruditissimo *Jad Chafaka*, cum de *אכיל* seu luctu agit c. 4. hac de re ita exponit: *lugenti die saltem primo interdictum est deponere phylacteria & comedere de suo &c. diebus autem subsequis permissum ipsi edere de suo & apponere phylacteria, quod elicitur ex interdicto Ezech. XLIV. 7. ubi Propheta lugenti inter alia etiam cibus fuit prohibitus &c.* *Buxtorfius* c. 49. *Synag. Jud. Prima vespere, ait, qui luget, cibo suo non vescitur, sed amici accedunt cibum suum secum afferentes. Causas hujus rei reddunt varias: quidam ajunt id fieri, quod lugens circa curam mortui occupatus non cogitet de cibo sibi pro-*



curandos alii dicunt, id faciendum esse ad consolationem lugentium, quam ex eo capiunt, quando vident se aliis cura & cordi esse, sibi que condolere alios; alii id educunt ex interdicto divino Ezech XXIV.7.

§. IV.

Exemplum insigne 2. Sam. III. 35. extat, ubi Davidem, Abnerô defunctô, accessisse populum recensetur לַחֲבֵרוֹ לְדָוִד ut edere faceret ac excitaret ad cibum capiendum Davidem. Sanctius eqvidem hîc annotat, à Davide populum convivio fuisse exceptum, publicum enim olim inter Judæos convivium parentale populo fuisse exhibitum, & planè probro fuisse, si quis illud intermiserit, ubi ad Josephi etiam auctoritatem provocat, qui L. 2. de B. J. c. 1. de Archelao refert, quod feralibus epulis admodum magnificis post Herôdis obitum populum exceperit, additque postea, morem hunc apud Judæos cibandi tantam multitudinem multos ad inopiam rede gisse, cum negligentes illum nec habiti fuissent pii. Ast ex perversa Romanorum, quorum postea ritus persequemur, imitatione hoc erat, quæ ipsa Judæorum κακοζήλια Davidis temporibus nondum invaluerat, ut adeo Davidi populus, non huic ille præbuerit cibaria. Servatus hic mos in Republ. Judaicâ usque ad ultima tempora fuit, in quibus alii subinde mores ac ritus fuere introducti.

§. V.

Quod ad fercula, lente & ovis potissimum Judæi in luctu vesci solebant, fortè ad humanam fragilitatem & luctûs vicissitudinem indicandam. Hieronymus ad Paulam de Blefilla obitu hanc de lente rationem affert: Flentes Judæi prius cibum lentis accipiunt, signantes quasi, quò eduliô primogenituram perdiderunt. Sed sunt sanè, qui ipsum Jacobi pulmentum parentale, diemque illum Abrahami emortuaalem fuisse, existimant, inter quos & A. Zenorena est, qui in 5<sup>o</sup> Commentario suo Germanico idiomate sed Ebræis characteribus scriptô ad Genes. c. XXV. v. 29. sequentia annotat, excerpta hinc ad  
lite-



literam : Er kocht darumb Linsen/ er war ein אֲבִירָא (Leidtragender) geworden / daß Abraham war gestorben denselbigen Tag / der warten Abraham solt nit sehen / daß Esau sein Enckel hat viel עֲבֵרוֹת (Übertretungen) gethan/ und dienet אֱלֹהֵי אֲחֵרִים (andern Göttern) darumb hat אֱלֹהֵי אֲבִירָא (der allerheiligste GOTT) lassen sterben fünff Jahr ehe seine Zeit war kommen. Und darumb kocht man Linsen / wenn einer stirbt / gleich als ein Lins die ist kuglichtig/ also ist auch der Tod / git herum/ und welgert sich von einen Menschen zum andern Menschen: Und fünff עֲבֵרוֹת (Übertretungen) hat Esau gethan / &c. A Paulo Ænigetâ l. i. lens dicitur κακόχυμος καὶ μελαγχολικὴ, ut adeo ob hanc quoque causam ad funebres cœnas apta fuerit. De ovis Buxtorfius d. l. ita : Ova dura lugentibus mittuntur consolationis ergo, quemadmodum enim ova rotunda sunt & spherica, ita quoque mors volubilis est, hodiè hunc cras illum petit. Locum aliquem ex Margar. fid. Jud. Lit. L. 3. huc facientem allegat B. Geierus in Tr. de Ebr. luctu. c. VI. §. 22. Wenn der Leidtragende hingeführet wird / schicken sie ihm harte Eyer zu essen/ dasselbige bedeutet einen Trost. Denn gleichwie die Eyer kuglicht und rotund seyn/ auch hin und her lauffen; also der Tod auch/ läufft hin und her/ sey niemand für ihm sicher/ &c.

§. VI.

Sed nec potus deerat. Mittebatur namque & vinum lugentibus ad recreandos illos & exhilarandos, ut luctus sui obliviscerentur, quam causam adfert quoque laudatus Buxtorfius l. c. probatque insuper ex allegatō supra Salomoneo illo Prov. XXXI. 6. Temperantiam tamen cum maximè hic observarunt, quod & ipsum R. Maimonides all. l. testatur, non ultra decem pocula bibita fuisse, a jens, tria ante cibum, totidem inter cibandum, & quatuor post cibum.

§. VII.



§. VII.

Pars autem cibi ac potus ad sepulchrum defuncti à superstitiosis potissimum mittebatur, quod indicat præter alios *Siracides c. XXX. 19. tolerabilior est mors quàm valetudo adversa & morbus perpetuus. Perinde enim est ut ferculum splendidum, quod palato egroto proponitur, & cibi positi ad bustum sepulti.* Cui geminum illud *Socratis* apud *Stobæum*: ὁ τῶν Φιλαργύρων βίος ἕοικε νεκρῷ δείπνῳ. *Stuckius de Antiqu. Conviv. L. I. c. 25. Kirchmannus de Fun. Rom. L. IV. c. 6.* Pars etiam distribuebatur pauperibus, ut ostenderent superstites, se humanæ miseræ ac mortalitatis suæ memores & ad obitum beatum promptos esse, proque illo preces pauperum exposcere. Sanè & aliàs de conviviiis ex tenore divini mandati egenis Judæi quid elargiri debebant, *Neb. VIII. 10. vid. Fesselii Adv. Sacr. P. I p. 67.*

§. IIX.

Nunc ad *Græcos*. Vocarunt illi cœnam hanc δείπνα ἐπιτάφια, περιδειπνα, τάφους etiam sive simpliciter, sive cum additō ἐπιδορπίας, dicta item fuit ἡ ἐπὶ τῷ πένθει σύνοδος, ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανόντων ἐστίασις, δαῖς Ἐπιτάφια, &c. Equidem περιδειπνα, & appellationes reliquas differre putant nonnulli, & inter alios etiam *Eustath. in Homer.* illa nempe epulum post sepulturam institutum, reliquas voces omnes convivium in sepulchro vel super mortuum agitatum notare; sed promiscuè tamen appellatio utraque apud *Autores Græcos* occurrit.

§. IX.

Cæterùm duorum omninò generum sepulchralia convivia *Græcorum* erant. Alia celebrabantur in ipsa funebri solennitate super sepulchro, ubi magnis vociferationibus inferendo jam eidem defuncto acclamabant: ἀνάστα, φάγε καὶ πίε καὶ ἀφρογίνθη, *Surge, ede & bibe & letare.* Quem stolidum ritum *Romani* etiam, imo & veteres nonnulli *Christiani* imitati sunt, de quibus postea. Tale erat convivium, quod



quod *Achilles* in honorem *Patrocli* demortui apparari curavit, prolixè ab *Homero* *Iliad.*  $\phi$ . descriptum. Alia post exequias solebant institui, quale illud post *Hectoris* obitum erat, de quo itidem *Hom. Iliad.*  $\omega$ . quale & *Argonautarum* erat, tertio post *Idmonis* obitum die magnificè apparatus, de quo *Apollon.* in *Argonaut.*

§. X.

Sic enim *περὶ δεῖπνα* hæc in diem tertium post tumulationem differebantur, teste præter alios *Alex. Sard.* qui, *L. 1. de moribus & ritibus Gentium* c. 26. *Græci ipsi*, inquit, triduo post apparant cœnam necessariis, qui coronati lugentes adhortantur, ut cibum capiant, quod cunctanter quidem ipsi faciunt, ne post charissimorum mortem vitam exoptare videantur. *Lucianus* tamen in *Libr. de Luctu*: non diu compelli se passos fuisse lugentes ad cibum capiendum, ait, cum per triduum enecati prope inedia fuissent. *Argivi* autem post triginta demum dies, cum sacrificarent, convivari soluerunt, referente *Alex. ab Alex. L. III. Genial. dierum* c. 7.

§. XI.

Cibi appositi varii generis legumina fuerunt, quæ *Plutarcho* teste in *Probl.* ad *περὶ δεῖπνα ἢ περικλήσεις τῶν νεκρῶν* fuerunt adhibita. Speciatim apud *Athenæum* lactucæ mentio fit, diciturque illa *τῶν νεκρῶν βρῶμα*, mortuorum edulium. Fabarum quoque, apii & pulticularum, tanquam feralium ciborum Græcis cum gentibus aliis communium, hinc inde Autores, *Plinius* potissimum, *Festus*, *Arnobius* & alii meminerunt.

§. XII.

In hisce Græcorum funebribus conviviiis recitatae fuerunt mortui laudes, tradente *Cicerone* *L. II. de Leg.* Sequebantur epule, quas inirent propinqui coronati, apud quas de mortui laude, cum quid veri erat, prædicatum: nam mentiri nefas habebatur. Istud autem veritatis studium sequentibus temporibus in cœnis illis Græcorum non amplius obtinuit:

B

nuat:





nuit, siquidem & sceleratissimos laudârunt, quod vel Pro-  
 verbum illorum testatur, quô usi sunt de maximè impro-  
 bo homine: *ὄχι ἐπὶ τῷ θανάτῳ εὐφραίνονται, non laudave-  
 ris & nequidem in cœnâ funebri, quasi dicatur, in quâ ta-  
 men pessimi quique laudari solent. Erasmi in adag. Recita-  
 bantur præterea antè mortuorum celebrium virorum no-  
 mina, supprimebantur verò nomina αὐτοχρίτων, τῶν γὰρ  
 μόνων ἐν νεκρῶν δείπνοις οὐκ ἐκάλουν δι' ἀποθήκωντες. Arte-  
 mid. L. I. ἐν εὐχέλων c. 5.*

§. XIII.

Ad Romanos jam pergimus, qui præter cœnas fune-  
 bres *privatas, publicas* nonnunquam atque solennes agita-  
 bant. Illas dicebant *parentalia*, teste *Perotto in Cornuc. &  
 filicernia*, quod silentes tantùm cernere epulas Dîs manibus  
 appositas, non gustare debuerint, vel quòd hospites cœnæ  
 vivis apparatus cum silentio interesse cernerentur, seu ob de-  
 functi memoriam, seu ob mortis meditationem. *Terentius*  
 inde senem vocat *filicernium*, fortassis quasi dignum, cui *fi-  
 licernium* fiat. Varias circa vocem hanc sententias college-  
 re *Kirchm. L. IV. de Fun. Rom. c. 4. 5.* atque *Stuck. L. I.  
 Antiqu. Conviv. c. 35. Pollinctura* quoque & *Pollinctus* voca-  
 bantur cœnæ illæ, quam vocem alii à *liniendo*, alii à *polliendo*,  
 à *polline* alii, è quo panis tum appositus fuerit confectus,  
 plurimè tamen à *pellibus* aut à *polluendo & uniendo* derivant,  
 præcipuè cum tota funeris curatio hoc nomine venerit, &  
*καὶ ἐξοχήν pollinctor* fuerit dictus, qui corpus, antequam  
 efferretur, aromatibus unxit, sicque *pellium* seu *pollutorum*  
*unctor* extitit, aut ipse *polluit se uniendo*. Inter duas has  
 epulæ funebris appellationes discrimen intercedere, cœnas-  
 que adeo diversas fuisse *pollincturas & filicernia*, *Alex. ab A-  
 lex.* asserit, ita scribens *l. c. Funeralem cœnam pollincturam dixe-  
 re Romani & c. præter quam erat cœna exequialis, quæ senibus & his,  
 qui multum ætate processerant, dabatur, in qua pransi discedentes*  
 post



post supremum officium alter alteri valedicebat, quam silicernium  
vocant.

§. XIV.

Æquè ac Græci *Dæmoniacam* quoque cœnam, ut audit  
*Tertulliano*, appararunt Romani, credentes, animas defun-  
ctorum ab inferis excitatas vesci ac delectari cibis. Gustare  
hos erat piaculum, & *bustirapi* dicebantur, qui lucri causa ne-  
fanda omnia patrabant. Atque hæc cœna propriè *feralis*,  
*epulum feralis*, *feralia* quoque à dapibus, quas ad sepul-  
chrum ferebant, dicenda; d. cum omne, quod ad funera spe-  
ctat, feralis illis dictum fuerit, pro funebri convivio in gene-  
re voces istæ passim usurpantur. *Ov. l. 2. Fast. Apul. l. IV. Flor.*  
*Fulv. Ursin. in app. ad P. Ciac. de Tric. p. 180.* Neque verò  
lugentes, cum ipsi ad sepulchrum cœnarent, mortuorum  
obliviscebantur, sacrum illis putantes, quicquid fortè ce-  
ciderat sub mensam. Sic *Athenæus l. X. τῶν τετελευτηκόσσι*  
*τῶν φίλων ἀπένεμον τὰ πίπτοντα τῆς τροφῆς ἀπὸ τῶν*  
*τραπέζων*, h. e. *mortuis amicis dant cibos de mensa cadentes.*

§. XV.

Celebrabantur cœnæ istæ & in ipsis *exequiis*, & in *novendi-*  
*alibus*, *denicalibus* atque *feralibus* feriis. In *exequiis* se tali cœ-  
næ interfuisse *Varro* profitetur in *Mel.* scribens: *funus exequia-*  
*ti silicernium ad sepulchrum confecimus.* De *novendialibus*  
apud *Tacit. l. VI. Annal. c. 5.* locus occurrit, ubi *Cotta Messa-*  
*linus* celebratam *Augusti* die natali cœnam, vel ob occisos an-  
te novem dies à *Tiberio*, vel ob exitium, quod aliquibus ab  
ipso illatum fuit, *novendialem*, h. e. *tristem & lugubrem* cœ-  
nam vocat. *Denicales* agitabantur, cum decimo die ædes  
funere pollutæ purgarentur, adeoque vel à denario nume-  
ro, vel à Gr. *denos*, quâ voce denotatur mortuus, ita fuere  
dictæ. *Cicero l. II. de Leg. Columella* item & *Festus*, Auto-  
resque alii earundem mentionem faciunt. Solenniores  
autem epulæ *ferales* agitabantur in *februis*, à febrando h. e.  
purgando dictis, à quibus & *Februarius* dicitur. Tum



impetrare mortuorum animabus quietem piaculis & sacrificiis circa sepulchra allaborabant. Quibus Romanorum Februis solemnia omnium animarum & iusta anniversaria Christianorum perquam videntur similia. Vid. *Stuck*, loc. all.

§. XVI.

Lautæ admodum hæ cœnæ erant, siquidem ajente sæpius allegato *Genialium dierum* Autore l. c. nihil in iis de-  
*erat, quibus omnia affatim suppetebant.* Nimis etiam ventri in iisdem indulgebant. *Parabant charis, ut Augustinus in hanc ipsorum intemperantiam invehitur L. XV. de Sanctis, quod ipsi devorabant, quod præstabant ventri, imputabant pietati.* *Tertullianus de Testim. anim. c. 4. dilutiores à bustis rediisse, quotquot interfuerint epulis, asserit.* Ita *Varro* ipse perquam lautè silicernium cum convivis reliquis se confecisse, l. c. scribit. Sæpius enim à moribundis legabatur certa pecuniæ summa hunc in finem, ut ex eorum reditu epulum fieret. Allegavit *Stuckius* duas veteres inscriptiones sepulchrales isthoc probantes ex *Lazii* L. III. de *Republ. Rom.* quarum altera *Ravennæ*, altera *Romæ* fuit reperta.

Ravennæ:

OB MEMORIAM PATRIS SUI DEC. VII. COL-  
LEGII FABR. M. R. HS. 8. N. LIBERALITATE DO-  
NAVIT SUB HAC CONDITIONE UT QUOTAN-  
NIS ROSAS AD MONUMENTUM EJUS DEFE-  
RANT ET IBI EPULENTUR DUNTAXAT IN V.  
IDUS JULIAS QVOD SI NEGLEXERINT TUNC  
AD VIII EJUSDEM COLLEGII PERTINERE DE-  
BEBIT CONDITIONE SUPRA DICTA.

Romæ O. M.

P. CORNELIA ANNIA NE IN DESOLATA  
ORBITATE SUPERVIVERET MISERA VIVAM  
ME ULTRO IN HANC ARCAM CUM VIRO DEF.  
INCOMPARABILI AMORE DIL. DAMNAT. DEDO  
CUM



CUM QVO VIXI ANN. XX. SINE ULLA DO. LIB  
LIBERTA USQVE NO. UT QVOTANNIS SU-  
PER ARCAM NO. PLOTONI ET OXORI PRO-  
SERPINÆ OMNIBUSQ. SACRIFICENT ROSISQ.  
EXORNENT DE RELIQ. IBI EPULENTUR.

Provocat etiam ad lapidem talem Torcelli visum *Kirckman-  
nus de F.R.p.m. 582.*

LONGIUS PATRO  
CLUS. SECUTUS  
PIETATEM COL  
CENT. HORTOS  
CUM. ÆDIFICIO  
HUIC SEPUL. JUNG  
TO. VIVOS. DONA  
VIT. UT. EX. REDI  
TU. EOR. LARGIUS  
ROSÆ. ET ESCE  
PATRONO. SUO. ET  
QVANDOQ. SIBI  
PONERENTUR.

§. XVII.

Magis tamen lautæ fuerunt cœnæ funebres *publicæ*,  
quibus ditiores universum populum Romanum solebant  
excipere, prout *Cicero pro Mur.* epuli meminit, quod *Q. Ma-  
ximus Africani Patris sui nomine populo dederat.* Idem in gra-  
vissimâ suâ *invektivâ in Vatinius* epuli talis publici memi-  
nit, *in quô aliquot hominum millia accubuerint.* Huc *visce-  
rationes* referendæ, per quas largitiones illæ crudarum car-  
nium populo tum publicè distributarum innuuntur. De  
his *Liv. L. VIII. Populo visceratio data à M. Flavio in funere Ma-  
tris.* Earundem & L. XXXIX. & XLI. meminit. Insu-  
per etiam multum aliaque opulentiores elargiri tunc quan-  
doque solebant. *Liv. l. XXXVIII.*



§. XVIII.

Cibus prope cum Judæis & Græcis iisdem Romani hic utebantur, & cum illis non essent contenti, carnes etiam pluresque cibos apponi curabant. *Plutarchus in Crasso* lentem & salem πένθιμα h. e. lugubria credi à Romanis, asserit. *Appianus* autem in *Parthic.* Φανὴς ἢ μάζαν lentem & tiburum in cœnis illorum funeralibus appolita fuisse asseverat. Peculiari quoque poculo, quod *obbam* appellabant, tum utebantur, erat enim, ut in *Glossario* describitur, ἀμβίξ ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς ἕσσον ἔσσεν.

§. XIX.

# Quod denique ad accumbentium vestitum est, albis illi vestibus induti, sicut ad convivia omnia, ita ad hoc quoque debebant accedere, quod albus color integerrimus & purissimus Romanis haberetur, quare & mortuos albâ induere veste solebant. *Polyd. Virg. l. VI. c. 9.* Neglectum hujus consuetudinis Vatinio, qui pullatus apparuerat in convivio funebri, cujus injecta antè fuit mentio, vehementer exprobrat *Cicero*, ita eundem alloquens: *Atque illud etiam scire cupio, quò consilio, aut quâ mente feceris, ut in epulo Cn. Arii familiaris mei cum toga pulla accumberes: quem unquam videris, quem audiveris, quo exemplo, quo more feceris? Dices, supplicationes te illas non putasse: Optimè, nulle fuerint supplicationes, &c. quis unquam cœnavit atratus? ita enim illud epulum est funebre, ut munus sit funeris, epula quidem ipse dignitatis. Sed omitto epulum, populo Romano Festum diem argento, veste, omni apparatu visendo: Quis unquam in lectu domestico, quis in funere familiari cœnavit cum togâ pullâ? Cui de balneis exeunti præter te, toga pulla unquam data est? Cum tot hominum millia accumberent, cum ipse epuli Dominus Cn. Arius albatu esset, tu in templum Castoris te cum C. Figullo atrato, cæterisque tuis furiis funestum intulisti, &c.*

§. XX.



§. XX.

Sed & ad Christianos iste conviviorum funebriū ritus translatus fuit, at, quod dolendum, cum multis superstitionibus atq; abusibus. Nam ipsorum etiam aliqui ad sepulchra detulere epulas, easdemque ibi cum vinō immodicē ingurgitarunt. In quem pravum morem acriter invecti sunt Patres. Unicum Augustini locum sufficiat jam allegasse, qui in l. de mor. Eccl. Cath. c. XXXIV: ita ritum hunc taxat: *Nolite consecrari turbas imperitorum, qui in ipsa verā religione superstitiosi sunt. Novi multos esse sepulchrorum & picturarum adoratores, novi multos, qui luxuriosissimē super mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes super sepultos se ipsos sepeliunt.* Hæc autem convivia modò in ædibus privatis, modò in templis & cœmeteriis solebant institui. Vid. *Qvenst. de Sep. Vet. p. 297. Kirchn. de F. R. p. 589.*

§. XXI.

Anniversarias Martyrum festivitates itidem convivando celebrare solebant. Ita Augustinus l. VIII. de Civ. Dei c. 27. refert, *allatas ad martyrum loca à quibusdam Christianis epulas, quas ubi apposuissent, orarint, & rursus abstulerint, ut vel ipsi vescerentur, vel etiam indigentibus inde aliquid largirentur, persuasi, quod martyrum meritis illi cibi sanctificati fuerint, sed addit, hoc non fieri ab iis, qui in Christianā pietate melius instituti essent, nec ubique locorum ritum istum receptum esse.* Cyprianus de dupl. martyrio: *Temulentia, inquit, adeò communis est Africæ nostræ, ut propemodum non habeant pro crimine. Annon videmus ad martyrum memorias Christianum à Christiano cogi ad ebrietatem? an hoc lenius crimen esse dicemus quàm Baccho hircum immolare?* Atque hæc Convivia pariter ut priora illa & domi & in ipsis martyrum basilicis solebant peragi. *Stuckius l. c. Gerb. T. 8. L. de morte, §. 85*

§. XXII.

Sed cum tantopere luxus hujus abrogationem Patres desiderarent, explosus tandem fuit ex Ecclesiā partim in  
Syno-



# Synodo Laodicea, partim in Concilio Carthagenensi III. alibi-  
ve. Ita hoc reformatum est in locis quibusdam (inquit Chemn,  
p. III Ex. Conc. Trid. c. 5. p. m 162.) ut in memoriam defunctorum  
amici cibos & alia donaria in usum pauperum & Clericorum  
conferrent, sicut colligitur ex Origine l. III. in Jobum, & qui con-  
ferebant, vocabantur sportulantes. Cypr. l. 1. ep. 9. Ita refert Hie-  
ronymus ad Pammach. in Ecclesiis occidentalibus, loco viscera-  
tionis Gentilibus usitatae, eleemosynas post funus curatum  
inter pauperes distributas fuisse, quod idem de orientalibus  
Chrysostomus affirmat in Homil. XXII. in Matth.

### §. XXIII.

Jamque incultarum etiam nationum circa funerales  
cenas ritus quâ poterimus brevitate subjiciemus. De Scy-  
this refert Herod. l. 4. ipsos mortuos suos per quadraginta  
dies circumtulisse ad Amicos, qui convivium iisdem præ-  
buerint. Id autem non de omnibus intelligendum; quæ-  
dam enim Scythicæ nationes immanissimis funebribus epu-  
lis delectari consueverant. Ita *Essedones* dentibus lania-  
bant cadavera eademque apponebant inter fercula convi-  
vis, craniô poculi loco utentes. *Massagetae*, cum infelicissi-  
mos esse eos putarent, qui in lectô ex morbô decederent,  
parentes & cognatos in senium vergentes jugulabant, &  
concisos in frustra ac ovium pecudumque carne mixtos in  
funebri conviviô devorabant cum amicis, satius rati, à se  
illos quàm à vermibus consumi. *Derbices* & ipsi Scythæ pari-  
sævitia suos mactabant, vetularum duntaxat carnibus absti-  
nentes. Quod ipsum & *Calari* ac *Padai* in India, *Celtae*, & *Ponti-  
cae gentes* facere solebant. Indi *Carrangonora* urbis incolæ, cum  
defunctus vita aliquis esset, in ferale aedes agmine quasi  
facto irruebant, & per integrum octiduum comessabantur.  
Refert hoc ex *Herodoto*, *Solimo*, *Mela*, *Silio Ital*, *Tertulliano*, Au-  
toribusq; aliis *Stuckius* l. c.

### §. XXIV.



§. XXIV.

De veterum *Borufforum* sepulchrali convivio ex epistolâ *Johann. Meleteti* ad *Georg. Sabinum* constat, ubi recensentur sequentia : Qui funus mortuo faciunt, collocant panem & lagenam cerevisiæ plenam ad caput cadaveris in sepulchrum illati, ne anima vel sitiât vel esuriat. Uxor maris & vespere, oriente & occidente sole, super extincti Conjugis sepulchrum sedens vel jacens lamentatur diebus triginta. Cognati verò ineunt convivia tertio die, sexto, nono & quadragesimo à funere. Ad quæ convivia animam defuncti invitanti, prestantes ante januam. In his conviviis, quibus mortuo parentant, tacitè assident mensæ tanquam muti, nec utuntur culttris. Ad mensam verò ministrant due mulieres, quæ hospitibus cibum apponunt, nullo etiam cultello utentes. Singuli de unoquoque ferculo aliquid sub mensam jaciunt, quo animam pasci credunt, eisque potum infundunt. Si quid forte de mensâ deciderit in terram, id non tollunt, sed desertis (ut ipsi loquuntur) animabus relinquunt manducandum, quæ nullos habeant vel cognatos vel amicos viventes, à quibus excipiantur convivio. Peracto prandio sacrificulus surgit de mensâ, ac scopis domum purgat, animasque mortuorum cum pulvere ejicit, tanquam pulices, atque his precatur verbis, ut è domo recedant : *Feli pili dussice, nurren, nurren* : hoc est, edistis ac bibistis animæ dilectæ, ite foras, ite foras. Post hæc incipiunt convivæ inter se colloqui & certare poculis. Mulieres viris præbunt & viri vicissim mulieribus, seque mutuo osculantur.

§. XXV.

Antiquus *Rassorum* ritus in conviviis funebribus observatus & æquè portentosus ex *Chytraeo* in *Mich. Neandri* descr. orb. terræ ita legitur descriptus : Die funerali cœnam satis opipare & apparatusè instruunt, ad hanc Christiani (ita mendicos appellant) vocantur, ut nimirum tanquam ociosi pro mortuo Deos inclament. Flamines item & omnes consanguinitate propinquos invitant.

C

Cumque



Cumque & mihi hunc haberent honorem, lubenter Ecastor eos adii, eâ potissimum de causâ, ut mores eorum rectius contemplari & observare possem. Hospites osculo blandissimè excipiunt, & quemque ut dignior est, ad mensam collocant. Sed hic tibi illud ad mentem revoces velim: Russos omnes St. Nicolaum tanquam DEUM adorare, ejusq; imaginem in domibus omnium videri. Accumulentibus convivis ardentem statim adferunt candelam, eamq; Nicolao consecrant, deprecantes sedulò pro salute & beatitudine amici demortui. Postea in scutellâ argenteâ triticum cum superinfuso melicrato apponunt. Singuli ligulam sumentes manibus defuncti rerum abundantiam & nepotibus supellectilem copiosam uno optant ore. Mox calix vino adusto plenus obambulat, & hunc liquorem non aliter potant, quam vaccae algentes undas, ut in proverbio dicitur. Neque tamen hoc ipsorum factum certa ratione caret: Vix enim illos ob ciborum cruditatem vivere posse arbitror, si tam forti potu stomachi frigiditatem non propulsarent. Ferculis demum apposis, senior inter Flamines iterum pingvia thura adolet, & Lemures ejicit foras, postea scripto crucis signo cibo benedicit. Peregrinis hominibus elephantem honoris gratia præbunt, illosque, si alicujus sunt dignitatis & præminentie, muneribus afficiunt liberaliter. Dumque omnes pro salute sui Regis, pro beatitudine amici demortui, pro felicitate adfinium & cognatorum plenis cantbaris bibunt, fit ferè, ut vix duo vel tres istis ab exequiis sobrii domum discedant. Eleemosynas illi, qui lautioris fortune sunt, die Veneris distribuunt. Sed exiguam tantum gregarii panis particulam.

S. XXV.

Magis ridiculum est, quod de antiquo Tartarorum more ex Paulo Veneto l. V. c. 58. Kornm. l. 6. de mirac. mortuorum affert: Si Tartari alicujus moriatur filius, qui nondum duxit uxorem, & item alterius moriatur filia innupta, conveniunt utriusque defuncti parentes, & inter defunctos connubium faciunt,  
con-



conscriptisque contractus illius literis ; juvenem & puellam in chartâ pingunt, & hanc cum pecunia contributa atque utensilibus & supellectile Vulcano devovent, credentes, defunctos in alia vita matrimonialiter conjunctos. Faciunt etiam pro hac re solemnes nuptias, & de preparatis cibis nonnihil hinc & illinc diffundunt, ut sponsus & sponsa quoque vescatur. Quo facto parentes & consanguinei defunctorum talium putant, se affinitatis vinculo conjunctos, ac si nuptiæ ille, sponsis adhuc viventibus, fuissent celebratæ.

### §. XXVI.

Afferri quoque nonnulla ex Historicis possent de cœna, qualem Bestiarii suprema cœnantes, dicente Tertulliano in *Apol. c. 42.* olim capiebant; de funestis item epulis, quas in *Ceo* insula sexagenarii jam cicutam bibituri, miseri que insularum *Chenerag* incolæ, antequam igni Deo suo devoverent se vivos, celebrarunt. Tangi etiam posset ritus ille veterum, Judæorum cum primis, observari hodiernum solitus, ubi reis capitali jam supplicio afficiendis potum ita largiter præbuerent, ut omnis prope rationis usus ipsis fuerit ademptus, de quo *Maim. H. sanbedr. c. XIII. Buxt. Lex. Talmud. p. 2131.* quas epulas omnes stylo nostro dixeris *Hencefer Malzeiten* / quasve haut injuria feralibus accensueris; sed pauca illa, quæ attulimus, nunc quidem sufficiant.

## COROLLARIA.

### I.

Historiarum non satis gnarus est, qui *Socratem prudentissimum fuisse & constantissimum*, asserit.

### II. Con.



QK TC 1132

II.


Contra Scripturam, experi-  
am & rationem statuitur, *con-*  
*stantiâ à mulieribus superari*  
*viros.*

III.

Vix accurata fatis ethica thesis  
hæc est: *amor erga proxi-*  
*num major esse debet amore er-*  
*ga nosmet ipsos.*

IV.


*Aquæ bibitionem naturæ magis*  
*prodesse, quam vini aut cerevi-*  
*siæ, frustra asseritur.*



1107

1107





B.I.G.

Farbkarte #13

II c  
1132

3

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO HISTORICA  
DE  
**EPULO FERALI**  
**VETERUM,**

QUAM  
AMPLISSIMÆ FACULT. PHILOS.  
CONSENSU,  
PRÆSIDE  
**M. GABRIELE CHRISTOPHORO**  
**MARQUARTO,**  
Schleiza-Varisco,  
disquisitioni publicæ subicit  
AUTOR  
JOH. Gottlieb Hoffmann / Lipsiens.  
Phil. Bacc. & Magist. Candid.  
*ad diem XXIV. Januarii Anno M. DC. XCIII.*

BIBLIOTHECA  
PUNICKAVIANA

LIPSIÆ,  
Litteris WITTIGAVIANIS.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(804)